

MS = Graz University Library 680

VA = Vienna, Schottenkloster, Scotensis-Vindobonensis  
140 (61)

LN = London, British Library Additional 18027

### Prologus *Libri Visionum Johannis de Moriginato*

1.

[94r col1] Incipit liber apparicionum et visionum beate et intemerate et sacratissime virginis Marie Dei genitricis, alma Maria procurante et eciam reuelante et supremo Deo concedente. Incipit liber beate Virginis gloriose Marie qui Liber Florum Celestis Doctrine appellatur ad omnes artes sciendas. Et que in aliis libris longo tempore et maximis et fastidiosis librorum voluminibus graviter et prolixè vix ingenio multum in se comprehenditur, in hoc libro prepaucis placidisque orationibus, angelorum reuelacione ac inaudita uerborum eorum subtilitate, necnon et intemerate Dei genitricis virginis Marie visione, apparicione, consolacione et procuracione, secundum operantis merita, breui tempore, subtiliter et indubitanter et mirabiliter edocentur, a quo et per quem et in quo sunt omnia.

2.

**Incipit primus prologus. In nomine domini nostri Ihesu Christi amen.**

**N**emo cum laternam accendit sub abscondito ponit eam neque sub modio, ymmo potius super candelabrum ut ingredientibus lumen appareat claritatis. [Mt 5:15; Mk 4:2; Lk 11:33] ¶ Nam cum gloriosa et intemerata Dei genitrix,

virgo Maria, que est lux peccatorum et sol eos illuminans nostris temporibus, michi tamquam abortiuo [1 Cor 15:8] quedam miracula ostenderit, me lumine gratie sue illuminando et a laqueis dyaboli subtrahendo [2 Tim 2:26], que nolens predictum lumen gratie sue sub abscondito poni, sed potius super ca[n]delabrum ut a presentibus et posteris ipsam esse indubitanter reginam celi gloriosissimam, dominarum mundi potentissimam, et inferni imperatricem maximam, [94r col2] et specialiter ut assuis fidelibus agnoscat.

3.

¶ Et idcirco ego, frater Johannes de Moriginato<sup>a</sup>, monachus indignus, eiusdem Virginis et eius filii domini nostri Ihesu Christi seruus et minister humilis, que mihi miraculose meis temporibus dignata est ostendere et facere, amore, dilectione, caritate ipsius nimia succensus, in corde meo abscondita non possum amplius retinere nec ecciam subportare. Ymmo serenitati omnium, ad laudem et gloriam et honorem ipsius sacratissime virginis Marie, et eiusdem filii domini nostri Ihesu Christi, sanctorum angelorum ac totius celestis curie, in salutem et perfectionem tam anime quam corporis omnium audiencium seu legencium, et destructionem inimici infestantis et querentis quem deuoret [1 Pet 5: 8], et omnium seminum errorum suorum et fallaciarum antiquarum destructionem et eieccionem cum quibus multos sibi fecit heredes, et decepit et pro dolor in foueam perdicionis induxit, in presenti codice proposui clarissime destinare, et specialiter per uisiones spirituales amoniciones sacras quo me ab antiquis meis erroribus et fallaciis inimici rugientis obfuscatum dignata est misericorditer reuocare.

4.

¶ Et qualiter presentem librum qui est de cognitione

et adoptione omnium scienciarum et arcium per reuelationem voluntatis sue et licenciam compilauit. ¶ Et non miretur me aliquis<sup>b</sup> uisiones proposuisse scribendas, cum illud certum sit et probabile quod in visione redita fuit Theophilo ab tam gloriosa uirgine Maria cartikula [94v coll] quam idem Theophilus de obligatione sui creatoris et anime sue scripserat et dederat inimico. ¶ Preterea per uarias uisiones remouetur et condempnatur heresis illorum qui dixerunt et dicunt animam esse mortalem, cum tamen in absentia corporis futura uidentur tamquam presencia, quod nullo modo posset esse nisi esset et anima<sup>c</sup> immortalis. ¶ Preter[e]a, quecumque de uisionibus in scriptis proposuimus declarare, eorum misteria nostris temporibus sine dubio uidimus euenire.

5.

Sed diceret aliquis, uidetur esse presumcio et uana gloria talia publicare, quod inuento thesauro celestium reuelacionum, quem qui cum inuenit homo abscondit [cf. Mt 13:44] et abscondere debet. ¶ Respondeo quia qui thesaurum in uia publice portat stulticia est, et uana gloria, et uidetur quod a latrunculis desideret depredari. ¶ Cuius hic fit contrarium: ergo male. Salomon: Thesaurum operum bonorum nostrorum semper debemus in publico portare. Secundum illud Mathei: “Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideantur opera uestra bona et glorificent patrem uestrum qui est in celis.” [Mt 5:16] Intelligendum: sit autem sic opus uestrum in publico quatenus intencio semper maneat in oculo, ut de bono opere proximis prebeamus exemplum, et tamen intencionem qua soli Deo placere querimus semper portemus secretum.

6.

Item posset aliquis fatue quere[re], nonne in temporibus nostris multi erant alij homines religiosi

probiores et sanctiores? Et nulli ipsorum ista reuelata fuerunt. Hec enim questio fatua est et non est respondendum.<sup>d</sup> ¶ Numquid in tempore Elisei multi erant leprosi infirmiores [94v col 2] et debiliores Naaman Syrie? Et tamen<sup>e</sup> nullus sanatus factus fuit nisi ipse solus. [2 Kg 5] ¶ Nonne duodecim erant apostoli? Et nullus uidit archana nisi solus Paulus—Iohannes inter ceteros magis dilectus. [2 Cor 12:1-4; Jn 21:20] Numquid de ipso solum dictum est ad Petrum: “Sic eum uolo manere, quid atte?” [Jn 21:23] Et si Petrus hoc scire non meruit, nos quomodo? Set sicut dicit Sanctus Paulus, “Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est michi stimulus carnis, angelus sathane ut me colaphiset.” [2 Cor 12:7] Ita et michi ut non extollam me non solum stimulus carnis set ecciam omnium peccatorum. Unde minimum omnium religiosorum me esse profiteor. [Cf 1 Cor 15:9]

7.

Suppon[un]tur<sup>f</sup> omnia quecumque in hoc libro scripta sunt penitencie sacramentis, scilicet ut septem sacramentis spiritualibus principalibus mystice supponantur. Mystice propter plures rationes diximus, et specialiter ex eo quod in omni uisione semper figura uel misterium reperitur. Et cum gloriosa benedicta et intemerata Dei genitrix uirgo Maria in persona mea dignata uoluisset operari, et manifestare (licet indigno et peccatori miserimo) tot et tanta reuelacionum suarum et uisionum misteria, conueniens fuit secundum ewangelizantium consuetudinem ut thema operis seu uisionum primo ostenderet, ad quod omnes uisiones sequentes aduci mystice potuisset. Unde thema uisionum, i.e. prima visio huius libri, primo ponenda est, quam ostendit et fecit michi illa dulcis uirgo Maria, et post omnes alias prout melius potero eius auxilio suffragante per ordinem declarabo. Quecumque enim in hoc libro scripta

sunt Domine canonisata fuerunt; inter apocripha fidei discernimus. **Finit prologus.**

8.

**Incipit [95r col1] liber visionum. Et primo de prima visione que est quasi thema omnium sequencium visionum quam habui existens quasi xii annorum.**

Ego enim Iohannes, dum essem circa etate xiiij annorum et mora[r]er apud ciuitatem Carnocensium in claustro beate Marie, satis prope ecclesiam, quasi per iactum unius lapidis, michi tamquam abortiuo [1 Cor 15:8] talis visio est ostensa. ¶ Nota quadam enim nocte eram quasi in corpore vel extra corpus nescio Deus scit [2 Cor 12:2-3] in extasi positus, et ecce, vidi quandam horribilem figuram; walde et pro certo uidebatur michi quod erat inimicus humani generis. Et ecce, figura illa insurrexit contra me, uolens et cupiens me sufocare. Qui cum uidissem tanto timore perterritus fugi a facie eius terribili, et persequabatur me huc et illuc, et comprehendere non valebat, et tamen me infestauit persequendo, quod domum<sup>g</sup> in qua eram a facie persecucionis exiui. Et dum exiui non cessauit persequi me; et se surgendo maximo, areptus cursu cucurri versus ecclesiam beate Marie. Et eam subintraui per portam dexteram a latere maioris positam a parte occidentis, et dum fui in ecclesia statim leuaui oculos meos — iuxta predictam portam positus a longe — uersus ymaginem beate virginis Marie. Et ecce, statim pia uirgo Maria cum signo brachii ut ad ipsam uenirem me dulciter advocavit. Quo viso cicius ad ipsam cucurri et fugi tamquam ad verum solamen et refugium peccatorum et sub proteccionem et manu sua me custodiens. Deinde amplius dyabolum persecutorem meum non vidi; set omnino<sup>h</sup> evasi manus eius invocacione, auxilio, et proteccionem beate Marie et intemerate genitricis Dei virginis gloriose. Et in tanta

tranquil[95r col2]litate positus fui continuo excitatus. Et dum fui excitatus visionem non intellexi, tamen aliquantulum ipsam consideravi, et in corde meo perpetue memorie commendaui cuius misterium in persona mea vidi proprij capitis oculis euenire.

9.

**Finit thema et quomodo a dyaboli deceptus. Incipit pars prima ipsius libri et quid accidit michi post hanc visionem primam.**

Cum ab ore Domini debebat esse exordium nostri sermonis [Col 4: 3], idcirco ego, Iohannes, uolens neque audens aliquid de me presumere (sicut quidam faciunt, de se presumentes, de quibus conqueritur Dominus dicens, “Os Domini non interrogauerunt”[Jos 9: 14]—id est, Dominum non consuluerunt; et in Ezechia scribitur “Ne presumas loqui que non audieris”), et ideo postquam visiones sequentes ausus fuissem scribere, dum reuersus fuissem<sup>i</sup> a scolis et a dileccionem reuerendi patris nostri Guillerm[i] de Ransignon abbatis anno incarnationis m ccc viii mensis Semptembris ab eodem Guillermo cum priore nostro claustrali fuissem una cum alijs canonice conuocatus. Et non solum cum ipso, sed a beata et intemerata Dei genitrici uirgine Maria, que michi apparuerat in mentis excessu et dixerat solummodo, “Huc ueni,” et nichil plus. Et adhuc fuissem apud Moriginatum et quasi mansissem in claustro una cum alijs fratribus. In una die, orans in capella beate Marie, rogavi eam per oraciones huius libri; consului tres petitiones faciendo, quarum ultima tangit propositum nostrum. Prima fuit, ut sibi placeret ut quandoque dignaretur michi per suam gratiam reuelare si amplius uellet quod essem scolaris sicut fueram. Secunda, si in abacia [95v col1] remanerem, si aliquid<sup>j</sup>

officium haberem. Et tertia si uisiones quas in preteritis temporibus michi reuelauerat ad laudem et gloriam nominis sui manifestarem et in scriptis redigerem. Quia sine voluntate sua scribere non auderem. Quod quando sibi placuit in una dierum excessum mentis in somnis ante unius ecclesie fores apparuit michi, et de quesitis dignata fuit michi misericorditer respondere et consulere dulciter michi dicens, “Monachus eris, et mouebis te, et dic quod dixi tibi.”

10.

Et audito hoc, nichil michi dixit set statim recessit a me, et excitatus fui. Et amirans intellexi per reuelacionem predictam, “Monachus eris” quod s[ib]i placeret in abbacia manerem (quod sic<sup>k</sup> accidit) et officium mobile haberem in quo de loco ad locum sepius me mouerem, per hoc quod dicit “Mouebis te”—quod esse non posset si claustralis permansissem. Et hoc ita fuit, quia preposita nostre camere factus fui infra octauam diem post predictam, quod officiosum est, ualde laboriosum et mobile. Et sibi placeret ut uisiones meas in scriptis redigerem per hoc quod dixit, “Et dic quod dixi.” Et uos omnes ad quos presens liber deuenerit, rogo uos et moneo, ut ait Augusti[n]us, “Nolite aduertere quis sim qui loquor set cuius sunt uerba que dico,” scilicet beate et intemerate Dei genitricis uirginis Marie, de quibus uerbis dicendis dixit michi “Et dic quod dixi.” Que solita pietate sua et consilio suo concedat michi nomine suo dicere que sibi placent. Et nos per ea ueniamus ad uitam eternam. Amen.

11.

**De erroribus meis in [95v col2] scienciis nefariis et specialiter in arte notoria que est dyabolo tradita.**

**H**ec dixit omnia potentissima celi regina gloriosa et intemerata Dei genitrix uirgo Maria, amica mea, auxiliatrix velocissima, consiliatrix uerissima, et dulcissima consolatrix. Hec dixit quod scriberem ad laudem et gloriam presentibus et futuris temporibus celebrando. Postquam uero primam uisionem predictam que thema uocatur habui (ad qua[m] ut dictum est omnes subsequ[e]ntes mystice reducuntur), incepti sub iugo religionis in ordine beati Benedicti ordinare militare. Et circa quartum annum ing[r]essus ordinis mei, delatus fuit michi quidam liber a quodam clerico in quo multa nephanda nigromantie artis continebantur. Et de illo quantum potui habui copiam et postea clerico redidi. Et perscrutatus a dyabolo et temptatus, et temptatione preualente cecatus, cepi cogitare qualiter ad perfectionem illius science nepharie attingere potuissem. A quodam Lumberdo nomine Iacobo, medico experto, de hoc consilium quesui. Quod cum ipsum consulerem dixit michi, “Petas licenciam studia frequentandi, et cum obtinueris quere quoddam librum qui ars notoria nuncupatur. Et ideo non solum de hac sciencia de qua queritur set de omnibus inuenies ueritatem.” Quia sic feci, et obtinui librum diu quesitum et inuentum, quo inuento ad opus illius faciendum et effectum consequendum proposse meo [96r col1] continuo ordinaui.

12.

**Quomodo ars notoria intus et extra fallacissime est contexta et fabricata.**

**L**iber enim ille notoria prima facie, scilicet exterius, apparet quod sit sanctus, et omnium librorum

pulcherrimus et utilissimus, et eciam sanctissimus, quia in eo scriptura debet de diuersis coloribus scribi. In eo sunt pulcherrime figure diuersis coloribus colorate. Breuissimus liber est, et omnium scienciarum scripturarum et arcium ade[m]pcionem breui tempore Deus omnipotens per ipsum operantibus promittit et tribuit. ¶ In ipso sunt orationes sancte et mirabiles, et figure quarum misterium, ut in ipso dicitur, magis<sup>1</sup> miraculum est quam assuete erudicionis exemplar. ¶ O astucia serpentis antiqui! O furor leonis inuidi circuentis et querentis quem deuorat! [1 Pet 5:8] Illa calliditas lupi rapacis! O falsa ypocrisis inimici, qui in vestimentis ouium extrinsecus appares et intrinsecus es lupus rapax! Hoc michi negare non potes, celare non vales; te exprobaui, te inueni, et te vidi in dicto libro ingeniosissime contineri. ¶ Ego enim, Johannes, in rei ueritate, per me et per plures alios testes, exprobaui quia ille liber uel ars illa notoria est sine dubio capud malicie, principium deuiacionis, magister erroris, vas fallacie, fons malicie, riuus nequicie, et fallax gratia. In ipso est pax odio uincta, fides fraudi, spes timori, et cum ratione furor mixtus. ¶ Ipsa enim ars est tempestas grata, nox lucida, lux tenebrata et mors uiuens, insipiens ratio, deuians prudentia. Estus prosperitas, mulcebrium infirmum, unguentum dulce exterius set venenum mortiferum interius. Tristis paradus primo mulcet, 2<sup>o</sup> verberat, 3<sup>o</sup> occidit. Extrinsecus agnus mitis set intrinsecus lupus rapax. Mel amaritudinis et dulcedo absinthij. Argumentum veritatis set solucio falsitatis, primo patet dulcius et vera, 2<sup>o</sup> asserit amara et falsa, 3<sup>o</sup> concludit omnia malo fine. ¶ Omnes ipsa [96r col2] vtentes decipit et in foueam perdicionis inducit. ¶ Ex ipsa enim conglutinantur omnia mala, et quid plura, quia sine ipsa ex nigromancia nichil exerceri potest; set in tantum subtilior est quantum decepcior. Est in quinque lingwis conpositus videlicet—Grece, Latine, Ebrayce, Caldaice, Arabice—ita quod ab aliquo non potest intelligi

nec exponi, et quantumcumque in illa plus studetur tanto magis obscura.

13.

*Sequitur visio secunda.*

Postquam vero predictum librum artis notorie in primo recepi et vidi, creditus deceptus quod in eo nullum malum esset, quadam die, ieiunio facto, quasdam orationes ipsius que vocatur ars notoria in sero quodam<sup>m</sup> protuli. ¶ Et ecce in nocte, quasi in excessu mentis positus, talem vidi visionem. Videbatur michi quod eram in pratello qui iuxta domum matris mee in villa de Otroniaco, et erat nox, et luna lucebat, et lumen lune erat in muro predicti pratelli a parte occidentis. Et ego habebam faciem meam versus partem illam, et ecce, in muro apparebat umbra quinque digitorum cuiusdam manus. Et umbra illorum digitorum erat multum horribilis, quod singularis eorum erat ita<sup>n</sup> magnus et grossus quod fere cum quinque manibus humanis inpugillari non posset. Set conuersus erga lunam in firmamento aspexi ut viderem vnde veniret vmbra illorum digitorum. Et ecce, vidi figuram cuiusdam maligni spiritus in firmamento, scilicet dyaboli, ita terribilem, ita deformem, ita turpem, quod nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit. [1 Cor 2:9] Et manum suam apertam tenebat ante lunam, et sic vmbra digitorum suorum apparebat in muro pratelli. Caput vero ipsius erat super zenith capitis nostri, et exteriora sua versus orientem, sed erat figura illa ita magna quod a zenith capitis usque ad orizontem meum durabat corpus suum usque ad [96 v col1] coxas—coxas vero et cetera ipsius exteriora videre non poteram quod erant vltra meum orizontem. Et cum ipsam figuram aspicerem pre nimia turpitudine ipsius eam diu non potui aspicere, set ut ipsum non viderem pronus in terram cecidi dicens, “Vere, vere, inexplicabilis est figura

demoniorum.” Et cum hec dixissem surrexi et domum meam que erat iuxta pratellum intraui, et dixi hiis qui erant intus, “Venite et videte mirabilia in celo.” Et ascendens in quoddam solarium et quidam mecum ut predicta eis ostenderem, et ecce, prospicientes per fenestram solarij, ostendi eis predictam figuram, terribilem sicut priusquam, cum parum aspicerem. Et ecce, subito illa descendit in pratellum vnde veneram in speciem sancti, et erat ibi valde simplex indutus veste nigra, et dyadema nigra gerebat circa caput. Quem cum vidissem penitebam aliquantulum ipsam dixisse malignum spiritum, et continuo excitatus. Et cum excitatus fuisset, multum de hoc admirans, cogitavi in corde meo quisnam esset.

14.

*De 3<sup>a</sup> visione que est expositio precedentis.*

Et cum aliquantulum ad aliquid videram cogitare[m] cepi in corde meo rogare Deum ut ostenderet michi quidnam erat et significabat, et ad hoc sciendum protuli quandam orationem que in eodem libro ad intelligenciam scribitur. In qua non credebam aliquid mali esse, set quomodo diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, [Rom 8: 28] ex eo quod credebam quod in nomine suo esset, noluit per ignoranciam defraudare. Secundum intencionem meam illam orationem meam ad effectum perduci. ¶ Vnde postquam predictam orationem protuli, vertens me in alio latere, statim fui quasi in extasi et talem vidi visionem. Videbatur michi quod intrabam quandam ecclesiam et ecce, in [96v col2] choro illius ecclesie erat quidam de Fratibus Minoribus qui legebat psalterium glosatum quibusdam scolaribus suis. Qui vocavit me et dixit, “Veni huc,” et cum venissem ad eum dixit michi, “Sede hic iuxta me et lege in hoc libro.” Et

sedi et legi hec verba: ¶ “Vidi impium super exaltatum et eleuatum sicut cedros lybani: et ecce, non erat; quesui, et non est inventus locus eius.” [Ps 37:35-6] Et cum hoc dixissem dixit michi hic, “Qui se ostendebat, quis fuit ille?” Quo dicto et audito statim euigilavi, et admirans Deum glorificaui et gratias reddidi qui interpretaciones visionis mee michi ostenderet. Et ab illa hora cepi de illa sciencia dubitare quod in ea esset aliquid mali. Et tamen propter mala bona que in illa prima facie esse apparebant, hec dubitatio in corde meo michi nominabatur.

15.

*Quomodo artem notoriam didici et quomodo per eam operatus fui.*

Ego enim, Johannes, dum essem scola scolaris, multas paupertates tam in libris quam in exemplis<sup>o</sup> et in multis alijs necessitatibus paciebar, et supra modum toto corde desiderabam ad congnicionem omnium scienciarum deuenire. Et cum esse non posset per doctrinam successiuam propter meam paupertatem, et in predicto libro continebatur qualiter ad propositum meum attingere per doctrinam subitanam potuissem, idcirco, omnibus alijs studijs dimissis, cepi in ipsa frequencius studere, et in tantum studui quod qualiter operari deberem sciui. ¶ Quo cognito ad voluntatem meam propositam consequendam opus illius libri secundum ipsius doctrinam melius quam potui subintraui.

16.

*Quarta visio.*

Opere vero illius libri incepto, cum iam in ipso

laborassem usque ad [97r col1] lunam vicesimam nonam, in quo die ipsa luna conplet cursum suum, et in nocte post crepusculum, post prolationem cuiusdam orationis illius libri que uocatur “Signum Gratie,” statim intraui cubiculum candela extincta, quod cum fuissem iacens cecidi in extasim. ¶ Et ecce, subito camera illa in qua iacebam repleta est claritate magna, et apparuerunt michi duo homines quos vidi set similitudines eorum recipere non potui, et inter illos aderat tercius, set non potui illum nec audire nec videre set sensi. Unus illorum quos videbam unus<sup>p</sup> stetit ad capud cubiculi mei et alius ad pedes, et dixit michi ille ad capud, superbe loquendo, crudeliter, et arroganter, ¶ “Si me per octoginta dies et amplius deprecatus fuisses, forte ad hoc quod queris attingere potuisses.” ¶ Et respondens alter stans ad pedes, “Audi, Iohannes, que dixit pater.” Statim credens quod Pater fuisset qui primo loquebatur, et Filius qui locutus fuerat secundo, et Spiritus Sanctus quod non videbam set sensiebam, dixi, surgens et flens, manibus iunctis, ad Filium, ¶ “Memento, domine, quia fuisti Deus et homo simul, es, et eris.” Qui continuo respondit, “Et ego dico tibi quod in octo diebus habebis visionem.” Et cum dixisset continuo excitatus. ¶ Et cogitando ad uisionem, statim non intellexi, credens ipsam bonam et veram et ex Deo factam (cum ita non esset, set ex dyabolo qui se vsque in angelum lucis ut me magis deciperet transformauit). [2 Cor 11:14] Tamen feci sicut dictum fuerat, et rogauit [97r col2] Deum per tantum tempus sicut michi dictum fuerat (quia secundum doctrinam illius libri sciencie notorie) per orationem que incipit, ¶ “In nomine sancte et indiuidue trinitatis.”

17.

Quinta visio nota.

Et postquam librum incepi, ecce, in quarta luna

operis mei vidi talem visionem. Videbatur michi quod quidam superbus magnus, arrogans et dedignans, cameram meam in qua iacebam non per hostium set fenestram camere subintrauit, et circuendo cubiculum meum hec uerba superbe loquendo dixit, ¶ “Si uis me adorare et homagium facere, habebis omnia quecumque petis.” Cui dixi, “Nullo modo hoc agam.” Ego enim non credebam quod illa sciencia esset talis. Et cum hoc dicerem, ecce, intrauerunt duo alij homines religiosi vestimentis Fratrum Minorum per eandem fenestram, et astantes iuxta cubiculum meum rogabant me et<sup>q</sup> dicebant “Domine, faciatis quod dixit uobis dominus ille magnus.” ¶ Quibus respondi, “Hoc esse non potest.” Et dixit ille superbus qui primo intrauerat, “Nisi hoc egeris, accipiam plumbum calide liquefactum et fundam per os tuum et sic morieris.” Et dixi quod si mori deberem hoc non agerem.

18.

Inter hec omnia erat quidam Frater Minorum iuxta cameram meam, et sedebat in quodam scamno quod erat iuxta hostium illius camere,<sup>r</sup> qui audiebat et uidebat omnia quecumque indicebantur et fiebant. Cogitabam in corde meo, “Hoc modo scietur in domo nostra inter fratres meos quod illa sciencia erit in me ex parte dyaboli, quia iste hic videt; nunciabit alijs.” ¶ Et dum hec cogitarem semper illi duo incesanter rogabant me illius magni domini facerem voluntatem. Nullomodo concordare volebam. Quod cum dixisset [97v col1] ille magnus dominus quod nec per minas nec blandimenta voluntati eius acquiscerem, per hostium recessit, alijs duobus remanentibus incessanter me rogantibus quod agerem illud quod dixit michi ille dominus. ¶ Et in fine, tedio affectus, dixi, ¶ “Conuocate eum ut reuertatur et ego faciam.” Quo audito ipsum conuocauerunt set reuerti noluit. Et cum uidissem quod reuerti noluit,<sup>s</sup> dixi ad eos, “Ostendite michi quomodo

volebat homagium sibi fecisse.” Qui dixerunt, “Surge de cubiculo tuo et ostendemus tibi.” Et surrexi et ostenderunt quomodo homagium illud debebat fieri, quo viso perpetue memorie comendavi. ¶ Et admirans in corde meo de visione illa, tunc valde dubitavi de sciencia illa quod veraciter esset mala. Et dixi, “Domine Ihesu Christe, si est aliquid in ista sciencia vel arte quod tibi uel tuis aut fidei Christiane sit contrarium, nolo in ea aliquem invenire efectum.” Et opus meum adhuc non dimisi set ipsam persecutus fui, dicendo<sup>t</sup> in corde meo “Forte dyabolus ita me molestat—et persequitur tamen Dominus—ad illum finem ut efectum h[u]ius libri, cum valde sit bonum, non obtineam. Et propter hoc non dimittam opus, set finem expectabo et videbo.”

19.

*Sexta et septima visio.*

Et cum opus meum persecutus fuisset, antequam ad finem perducerem, bis michi reuelatum fuit ab omnibus spiritibus angelicis quod in oracionibus extranee lingue illius libri erat invocacio malignorum spirituum interclusa, ita subtiliter et ingeniose quod nullus de mundo quantumcumque esset subtilis eam percipere potuisset. ¶ Et [97v col2] hiis auditis adhuc de illa scentia magis dubitavi.

20.

*Nota tamen adhuc propter hoc opus meum ratione non dimissi qua prius. ¶ Sequitur visio octava.*

Cum igitur hanc scienciam predictam exercerem multas alias visiones mirabiles vidi<sup>u</sup> que non tangunt

propositum nostrum, per quas nigromanciam sciui in utraque specie cum ipsius artis librorum adiutorio. ¶ Similiter geomanciam, piromanciam, ydromanciam, aromanciam, cyromanciam, et geogoneam, et fere omnes eorum partes. Quas quomodo sciui longum esset narrare. Et cum per uisiones predictas adhuc ab illa sciencia recedere noluissem, talem aliam vidi visionem. Quadam nocte videbatur michi quod in camera mea venit unus ex angelis cherubim indutus tunica nigra et iussit me de camera descendere. Et cum noluissem<sup>v</sup> putabam quod ipse mecum comunicaret, et cum fui super gradus ad hostium camere, pulsavit me per scapulas et cecidi super gradus descendendo cadens usque in inferiorem gradum. Et dum volebam<sup>w</sup> surgere affuit malignus spiritus presens, scilicet dyabolus, et accepit et tenuit me. ¶ Cumque vidissem me in manibus eius lapsum et captum,<sup>x</sup> non valens me ab ipso eripere, dixi clamando ad angelum, “O cherubin, ego non credebam hoc!” Qui respondens ait, “Quare prius<sup>y</sup> non dixisti michi?” Et hoc dicto recessit, et ego remansi in manibus inimici, qui accipiens me et quasi tenendo duxit me extra domum matris mee. Quia valde minabatur et valde timebam interficeret me—dicens me manus suas non [98r col1] posse euadere, set in fine interficiet me. Et querebat semper locum oportunitatis ad hoc implendum, ducendo me per angulos et quasdam domos, set inuenire non poterat. Dum reduceret ita huc et illuc, rogavi illum aliquociens ne interficeret me, et semper respondebat quod sic faceret. Et tunc cogitavi in corde meo quod si potuissem confessorem inuenire, ego confiterer et peniterem me peccasse et talia fecisse, et quod de cetero non facerem nec peccarem. Et statim ut hoc cogitavi, et ecce, ille inimicus dimisit me et aliquantulum elongavit se a me, et continuo audiui angelos ita dulciter et melodiose cantantes quod in tota vita mea tam<sup>z</sup> dulce cantum uel canticum non audiui. Set eos videre non poteram.



21.

Deinde querebam oportunitatem qualiter euadere possem societatem illius inimici, et tunc de cetero paulatim et paulatim elongabatur a me. ¶ Et ecce, quedam turba hominum in obuiam nobis venit, et ego, longe iam, ipsum post me dimiseram et intraui turbam illam. Et statim ut fui intra illam, amplius ipsum inimicum non vidi; tamen ego timebam ne iterum inveniret me. Cucurri ad quemdam episcopum qui erat de turba illa et ad ipsum confesus sum peccata mea, et hoc facto amplius ipsum inimicum non timui ecciam si ipsum invenissem. Et dum a predicto confesore recederem, quandam ecclesiam subintraui a parte meridiei, et ecce, iuxta quoddam altare quod in parte septentrionis erat et stabat super gradus altaris predictae ecclesie dulcissima et intemerata Dei genitrix virgo [98r col2] Maria, uestibus candidissim[i]s adornata. Cuius pulchritudo erat talis et tanta quod ad eius uisionem et delectacionem non potest humana lingua sufficere. Et admiratus fui nec inmerito cum sol et luna mirantur in societate vero ipsius. Iuxta eam stabat beatus Iohanes ewangelista indutus Iacobito<sup>a a</sup> mire pulchritudinis vltra modum, quibus visis, omnibus cogitacionibus remotis, tanta leticia exultarat cor meum quod nunquam senseram similem. Et tanto gaudio repletus cucurri ad illos, et ecce, in obuiam venit ipse Iacobito<sup>b b</sup> beatus Iohanes. Amplexatus et osculatus est me et ego ipsum, et dixit michi, “Johannes, tu es insipiens et male fecisti. Vide ne amplius facias.” Et pre nimio gaudio non sciebam respondere nisi “Miserere mei.” Et hoc dicto illum dimisi, et ad beatam Mariam ueniens illam amplexatus sum, et dixit sicut beatus Iohannes, et ego similiter respondi, et hijs dictis statim receserunt. Et cum<sup>c c</sup> recessissem, intraui chorum ecclesie, et ecce in choro erat altare et quidam in eo celebrabat. Et erat infra accionem misse; et in circuitu altaris ipsius

quat[u]or erant ewangeliste indutis albis, et ecce, vnus ipsorum capud aquileum habens et corpus et alia membra eius erant hominis uenit ad me et amplexatus sum eum. Et ipsum tenendo in gremio meo sedi ibi, et sedendo mecum loquebatur, et in tanta requie positus statim euigilaui. Et admirans nec inmerito, gratias Deo reddi, qui tanta secreta sua michi dignatus est ostendere; et in perpetuam memoriam ipsius visionis composui et feci oracionem illam quam sic incepti, ¶ “Aue salue etc.” [98v col1] ¶ Et tunc vere sciui quod ars predicta notoria penitus erat mala, et aliquantulum ipsam dimisi set non in toto.

22.

**Nona<sup>d d</sup> visio de inhibicione artis notorie.** ¶ ¶ ¶ ¶

Postquam autem nonam visionem vidi: accidit michi quedam maxima tribulacio, et in ista tribulacione persistens visiones multas horribiles ego singulari die videbam. Et quadam die volui scire quid significabant, et ad hoc sciendum protuli quandam oracionem de prefato libro artis notorie que “ad Memoriam,” sicut mos est. Et ecce, in nocte sequente talem vidi visionem. Videbatur michi quod in cubiculo meo erat iacens circa latus meum quidam malignus spiritus. Quo viso, surgens cito ibi ipsum arrepto gladio fugauit violenter, et percussus et<sup>e e</sup> recessit. Quo fugato, et ecce, quidam homo adueniens in camera mea, statura satis magna, longam habens faciem et longum nasum in medio altum, indutus vestimento non recte alb[o] set quasi incinerat[o]<sup>f f</sup>—i.e. vestis sua colorem cineris habebat—et uocauit me et dixit michi, “Interpreta michi visionem.” et tunc ad memoriam reducans quid quo oracionem predixeram, et dixi, “A domine, set tu michi interpretaris.” Qui respondit, “Nichil est. Et amplius non intromittas te de talibus quia tibi non pertinent quod si

amplius feceris te obmutescere faciemus.”

23.

Et hoc dicto, iterum dixit michi: “Veni huc, quia tecum volo confiteri.” Et accipiens me per manus et duxit me usque ad scampum quod erat iuxta cubiculum meum, et ambo prostrauimus [98v col2] nos super scampnum illud ut modus est confitentium. Et incepit confiteri dicens, “Ego sum homo magnus et fortis et potens, et ego feci misericordiam vbi debuisssem facere iudicium, et de hoc volo ut absoluas me.” ¶ Cui dixi, “Domine, videtur michi quod non sit peccatum.” Qui dixit, “Consciencia mea me reprehendit. Absolve me cito.” Et ego dixi, “Et ex quo consciencia vestra vos de hoc accusat, ego absolvam vos.” Et cum voluissem ipsum absolvere uerbis absolucionis communis, et dixit michi “Non dicas hec, set aperi os tuum et implebo illud.” [Cf. Ezek 2:8] Et cum apperuissem os hec verba protuli ad ipsum absolvendum ac si in libro uidissem: ¶ “Rex regum, princeps principum et dominus dominantium, homo Deus filius Marie natus ex virgine.” Et cum hoc ultimum vocabulum dixissem, exclamaui uoce magna et dixi, ¶ “O maledicti Iudei,” dicendo sic et illum absoluendo: “Ipse uos absoluat ab hijs que michi nunc confessus fuisti, ex quo de hijs consciencia uestra uos accusat.” Et hoc dicto a me recessit, et continuo excitatus. Et tunc cognoui, et sine dubio sciui, et expertus fui, quod ille liber artis notorie omnino erat malignus, et quod creatori non placeat quod amplius per ipsum operari, et in eo quod feceram sibi displicebat. Et propter hoc opus illius libri seu artis predictae nepharie de hinc omnino dimisi et de hoc quod feceram co[n]fessus fui et penituit.

24.

**Contra artes nigromancie decima visio.** [99r col1]

Ego, frater Iohannes, postquam dimisi artem notoriam<sup>g g</sup> declinaui ad artes nigromancie, et in ipsa preualui tantum quod nouam nigromanciam componerem et quod Annulos Salomonis fabricarem. Ego, dum quodam mane vigilarem—ut sine dubio mihi videbatur—et de lecto meo surgerem et quartum anulum Salomonis ad finem ducerem, audivi vocem ad aures meas dicentem, “Stulte et stulte et stulte!” Et admirans timui, dicens “Vere, stultus sum.” Et iterum illa vox dixit, “Vere, stultus es, et si scires quanta oportet te pati pro hijs que ag[i]s,<sup>h h</sup> numquam ea faceres pro nulla re.” Et hijs auditis, vox recessit. Neminem vidi. Et valde perterritus timui cum annulos fabricaui, set ipsos propter hoc non fui ausus confirmare. Et artes nigromancie non in parte set in toto dimisi—ymo semper librum magistratus noue nigromancie componebam.

25.

**Undecima visio: qualiter operatus verberatus fui per bonum angelum coram omnipotente Domino Creatore.**

Cum autem vidisset Deus Creator omnium quod timor eius me<sup>i i</sup> a malo non reuocaret, per seueritatem ecclesiastice discipline coherendo me voluit reuocare. ¶ Vnde quadam nocte extaseo s[o]pore dormiens, vidi hominem in quodam solario ubi eram venientem indutum toga rubea, uel ephitogium, cum quibusdam alijs similiter habitu indutis.<sup>j j</sup> Et sedit ibi in katedra tamquam magister. ¶ Et ego, videns spiritus sancti reuelacione in corde meo, [99 r col2] agnoui ipsum esse dominum Ihesum. Et ego, veniens ante eum prostratus, veniam pecij, sicut mos est religiosis et in capitulo coram magistris ordinis. Et tunc dominus Ihesus, magister meus, precepit cuidam de societate sua ut

me acriter verberaret. Et surgens quidam ipsorum et incepit me cum pugno acriter verberare, dicens, “Tene, quia fecisti et facis que sunt contraria Creatori tuo.” Et multum verberavit me, et in tantum quod pre nimia pena et dolore quas paciebar excitatus fui. Et admirans multum, dolens scapulas [et] alia loca in quo vapulatus fueram, et dolui per unam horam fere. ¶ Et sic castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Et propter hoc artes nigromancie et librum componendum ipsius artis dimisi et penitui et confessus sum. **Explicit prima pars visionis.**

26.

**Incipit 2a pars de visionibus quas habui post confessionem factam et reuelacionem huius libri. Et hec visio prima a Deo procedens.**

**M**ira res et admiracione digna nimiumque stupenda et humanis ingenijs inopinabile gratie condime[n]tum. ¶ Quod postquam de operatione libri et artis notorie penitui et confessionem feci, me fugante a facie inimici, et quasi a longe vocante cum signo brahij me dulcissima virg[ine] Maria et intemerata Dei genitri[ce]<sup>kk</sup>, talem et sequitur vidi<sup>ll</sup> visionem. Videbatur enim mihi quod eram in ecclesia magna Carnocensy beate Marie ante magnum altare ipsius ecclesie, et rogabam ibi Virginem gloriosam. Et cum aliquantulum rogassem [99v col1] eam, ¶ Ecce, ymago argentea, in ipsa Virgine carnaliter et corporaliter transmutata, desuper descendit de altari et venit ad me, accipiens me per manus et duxit me per medium gradus ante altare, et dixit mihi, “Hic sta, et Deum adora, et rede ei gratias.” Et cum noluissem orare orationibus communibus, non set sic ¶ “Gracias ago tibi.” Et cum<sup>mm</sup> fuissem ibi, genibus flexis, manibus conplosis, omnis chorus cantabat ¶ “Te deum laudamus” propter miraculum

quod in persona mea fecerat beata virgo Maria et in conspectu omnium. Et dum cantabant, ego cogitavi in corde meo, et dicebam, “Maria, si liber istius artis nephandissime nigromancie apud me inuenietur,<sup>nn</sup> dicetur quod hoc non esset miraculum set per artem illam feci ymaginem ita descendere et transmutare? Et quid faciam<sup>oo</sup> libris istius sciencie? De societate mea remouebo et abscondam?” Et dum hec cogitarem euigilaui, et in memoriam illius visionis orationem illam composui ¶ “Gracias ago tibi,” “Gloriose flos celorum,” et aliam que sequitur.

27.

**Nota visio secunda: Qualiter fui in societate angelorum.**

**A**liam vidi iterum visionem in quadam altera die. Videbatur michi quod ego eram in eadem ecclesia Carnocensy magna a parte septentrionis versus portam. ¶ Et ecce, a parte meridie coram me veniebat quidam angelus mire pulchritudinis vltra modum, indutus dalmatika rubea, cuius ale a scapulis usque ad pedes retro se clause honestissime et decenter dependebant. Et ipsum [99v col2] sequebatur angelorum multitudo qui erant induti albis. ¶ Et cum ipsum vidissem venire contra me, secessi ad partem propter eius reverenciam ut darem ei et suis locum transeundi, et transiuit ultra me dulciter respiciendo set nichil loquendo. Et cum vidissem societatem suam sic ordinatam, ita dulcem, ita pulchram valde quam dicere possem, valde desiderabam in corde meo intrare societatem illam—et libenter intrassem, set non audebam. ¶ Et videns iuuenis unus ex illis qui illum sequebantur mire pulchritudinis vltra modum, relictis alijs, venit ad me et dixit, “Veni nobiscum.” Et dixi, “A domine, non ego audeo.” Qui respondit, “Veni secure. Placet Domino, nam et precepit nobis ut te nobiscum ducamus.” Et apprehendit

me per manum et duxit me ad illam beatam societatem a me tam diu desideratam. ¶ Et cum fuisset inter eos, vna cum eis, et in simul de ecclesia exiimus per portam septemtrionis, circu[i]endo ecclesiam usque dum venimus ante maiorem portam in occidente, et dum essem inter eos tanto gaudio eram repletus quod semper uoluisset manere cum eis, et caritate tanta succensus quod ipsos in genibus tenerrimus osculabar. Et ita equaliter quemlibet diligebam quod nesciebam quem plus. Et in tanta nobili et delectabili<sup>pp</sup> societate permanens, nesciens intra uel extra corpus, Deus scit, [2 Cor 12:2-3] euigilaui. Et admirans vnde veneram, gratias Deo redidi.

28.

**Tercia visio de confirmatione prose que incipit ¶ “Aue gloriosa virginum regina,” quam [100r col1] Iarius Parisiensis composuit.**

Aliam vidi visionem ego. Habebam apud me unam prosam de beata virgine Maria que incipitur ¶ “Aue gloriosa virginum reginam,” et maximam habebam voluntatem ipsam pronuncciandi et dicendi et in honore beate Marie virginis. Set non audebam quia quidam socius meus michi dixit quod omnes qui eam dicerent excommunicati essent, ex eo quod ille qui eam primo composuit condempnatus fuit. Et capitula subsistere non possunt quorum condempnatur auctores. Et propterea dubitavi. Et ad hoc dubium remouendum, talem vidi uisionem. Videbatur enim michi quod eram in predicta ecclesia Carnocensi inter altare et chorum, et audiui canonicos illius ecclesie in choro cantantes predictam prosam. Tunc dixi in corde meo, “Si illa prosa esset inhibita, excommunicati essent qui eam decantarent. Et propterea ego bene possum dicere, sicut<sup>qq</sup> et isti, quia non

displicet eidem Virgini, ymo placet.” Et cum hoc audirem et cogitarem, euigilaui, et amplius non dubitavi de prosa ista, quia bene placebat Virgini quod ipsam dicerem. Quod sic feci, et comiscui illam in illa oracione “Gloriosa flos celorum.”

29.

**Nota de quibusdam alijs visionibus ac orationum quarumdam compositionibus.**

Multas visiones gloriosas et pulcherrimas ego vidi que de uerbo ad uerbum longe esset enarrare. Vidi ciuitatem supra nubes positam, vidi celum clarum sicut cristallum, et in circuitu et in eo, velud tabernaculum collegij, vidi aduentum Antichristi, iusti vero pauperes ei contradicebant, [100r col2] ut inferius hec visio<sup>r</sup> apparebit. Oracionem primam huius libri composui post nonam visionem predictam, factam in memoriam illius visionis dictam. Oracionem que incipit ¶ “Excellentissima” composui dum exercerem artem notoriam post primam visionem. Oracionem “Propositii” composui postquam artem notoriam dimisi per reuocacionem. Oracionem vero que dicitur ¶ “Invocacio sancte Marie” composui similiter postquam penitui de predicta scientia operasse. Postquam autem ipsam composui accidit michi quedam magna tribulacio, et volui videre utrum istam tribulacionem potuissem euadere. Oracionem istam dixi ter cum lacrimis in quodam sero.<sup>ss</sup> Et cum fui in cubiculo<sup>t</sup> cecidi in extasi, et audiui vocem tamquam aquarum multarum et tanquam vocem tube loquentis mecum, “Johannes numquid scis quod aurum in fornace probatur?[Pr 7: 21, Wis 3: 6] Quare ergo quesuisti hoc?” Et continuo excitatus de uoce adhuc meis auribus<sup>uu</sup> tinnientibus, et cognoui sic quod illam tribulacionem euadere non possem, set quod illam patienter

sustinerem—quare oratio illa quare recommendabilior facta est michi. Multa et alia vidi et audiui et sciui secreta.

30.

**Nota visio ultima de licencia debita et habita ut componerem hunc librum pro vtilitate multorum.**

Cum ego, Iohannes, vidissem et percepissem me reuocatum esse et elapsum quodam modo a persecucione infestantis inimici, et essem quasi omnino sub proteccione et custodia beate et intemerate virginis Dei genitricis Marie, et scuissem me secundum illam que videram ad propositum meum me non posse pertingere. Considerans itaque amissionem operis mei, inhibicionem que michi factam sicut dictum est, nesciebam [100v blank 101r coll] quod ad bonum propositum meum consequendum agere debuisssem, nisi in hoc quod ut per sacras visiones mihi videbatur quod beata virgo Maria valde erat amica mea et familiaris in omni bono salutis anime mee, non meis meritis set sola sui pietate, misericordia, gratia preueniente, et in tantum quod tantam fidem, spem, et caritatem habebam, et habui, et habiturus sum in eternum, quod quidquid boni apud ipsam quererem asidue, deuote, et mente certebam, et sperabam, quod sine dubio libenter mihi daret et concederet. Vnde cogitavi quod quando iterum mihi appareret, sicut consueuerat, sibi licenciam peterem componendi vnum librum tantummodo de triginita orationibus simplicibus per quas propositum meum potuissem ad effectum perducere, ad destrucionem alterius libri, artis notorie, et omnium errorum antiquorum fallacis inimici.

31.

Et cum sepius rogassem coram ymaginem Virginis

in ecclesia eiusdem, audiuit orationem meam in nocte quadam talem habui visionem. Videbatur enim mihi quod essem in ecclesia de Otroniaco coram altari beate virginis Marie eiusdem ecclesie a parte meridiei—que ecclesia fundata erat et est de sancto Petro. Et stans ego ante ymaginem beate Marie in parte meridiei rogabam et orabam eam ut si sibi placeret talem librum quem predixi componerem<sup>v v</sup>, si vellet mihi hoc dicere et licenciam dare, dicens ei sic: “Domina mea et amica mea, si vobis placet ut unum librum componam de triginta orationibus simplicibus tantummodo, per quem possim ad cognicionem omnium scripturarum, [101r col2] arcium, scienciarum peruenire, nomine vestro, de quo ita est quod per artem notorie vobis non placet quo deueniam.” Et ecce, ymago illa lignea in humana specie eiusdem virginis intemerate transmutata, et locuta est mecum dicens, quasi invitus et grauiter et quod se tederet loquendo, “Placet mihi quod talem librum sicut me rogasti conponas.” Et dixi ei, ¶ “Eya, Domina mea, et quomodo sciam illum et potero componere?” Que repondit, “Quando illum facias, do tibi talem facundiam quod bene illum facias.” Et hoc dicto euigilaui, et gratias redidi beate Marie, virgini gloriose. Et librum incepti non statim, set quando potui ordinare et conponere ad finem debitum apparere deduxi eius auxilio suffragante. ¶ **Finit secunda pars visionum.**

32.

**Incipit tertia pars de secunda teste ad condempnandum artem notoriam ¶¶¶¶**

Et ut in ore duorum uel trium testium stet omne verbum [2 Cor 13:1], idcirco dominus noster Ihesus Christe et beata virgo Maria pia eius mater ambos testes contra artem notoriam, que maleficta est, voluit michi manifestare

et inducere quam eam, ut de maleficijs ipsius artis notorie ego et successores mei de cetero nullatenus dubitarem.

33.

¶ Ego enim, Johannes, quandam sororem habebam nomine Gurgetam, que<sup>w w</sup> circa xv<sup>m</sup> annum etatis sue, tunc iam potens, voluntate sua spontanea non coacta, rogabat me cottidie et sepius quod literas eam adiscerem. Cuius etatem considerans ita magnam, dixi ei se in eis de cetero non posse perficere. ¶ Et illa semper contrarium affirmabat, et cum diu me rogaret, [101v col1] eius desiderium videns, et desiderans quo spiritu duceretur et voluntate, secundum apostolum dicentem “probate spiritus si ex Deo sunt,” [1 Jn 4:1] approbauit secundum quod potui hec omnia ex bono spiritu prouenire. Et iterum consideraui quod per artem notoriam breui tempore ad cognitionem literarum, non obstante etata sua ita magna, sine dura, posset peruenire. Et ideo tunc primo ad artem notoriam ipsam posui ut mos est pueros qui nichil didicerunt adiscere, et postea literas ei ostendi, et in tantum didicit ipsa que numquam vidit literas infra computationem dimidi anni quod legebat ubique scribebat. Et quod plus est, in ecclesia coram omni populo sine defectu vnum alleluia sola sine adiutorio gratiosissime tamquam angelus decantabat. Set quid interim accidit ecce.

34.

#### De visione sororis mee contra artem notoriam factam.

Postquam predicta soror mea Gurgeta artis notorie ut mos est ingressa fuit, multas vidit visiones horribiles inter quas vnam sepius videbat sequentem. Videbat, eciam senciebat, dormiendo in extasi venire quemdam spiritum malignum et iuxta latus suum in lecto<sup>x x</sup> suo stabat, et tunc ille malignus spiritus illam puellam ita per latera et dorsum stringebat fortiter ita quod nec loqui nec clamare non

poterat. Dicebatque semper ad ipsam, minando quod ipsam interficeret et molestaret nec eam in pace dimitteret. Et hoc sibi multociens dixit, et minatus in multis, et in tantum perterrita fuit ab eo, et tantum timorem incurrit, quod amplius iam non audebat sola de nocte iacere.

35.

¶ Vnde accidit in vna nocte quod ipsa iacebat in camera in qua [101v col2] iacebat, vna cum quadam alia secum iacente puella, et circa mediam noctem dum ipsa vigilaret sensit spiritum malignum aduenire. Et timore percussa clamauit ad me et dixit, “Frater michi, adest spiritus ille, sensio illum, pro Deo fugetis eum si potestis!” ¶ Cui respondi “Soror mea, quod habes tu? Comendes te Deo, et signes te, et dicas Pater noster, Credo in Deum, Ave Maria,<sup>y y</sup> et nullum malum tibi faciet que cum dixisset.” ¶ Et ecce spiritus ille magis aporinquinabat ei, et eam incepit molestare et flagellare ita quod ipsa<sup>z z</sup> quasi amens in altum clamabat, et dixit mihi flendo lacrimabiliter, “A frater mihi, ecce iam tenet me!” Et cum dixisset tacite maximum incurri dolorem et timorem, cogitans quod hec pateretur propter opus artis notorie. Tunc dixi ei, “Soror cara, renuncia arti notorie et pompis eius et operibus, et cras promitte Deo et beate Marie coram ymagine in ecclesia quod de cetero per ipsam artem non operaberis si remouerit atte beata virgo Maria timorem illius spiritus.” Quod sic promisit se facturam, et statim recessit ab ei longe aliquantulum ille spiritus. Et ego, surgens de lecto<sup>a aa</sup> meo, feci lumen accendere in camera, et cum vidissem in lecto suo nichil vidi. ¶ Et dixit mihi, ¶ “Et ecce, ad[h]uc sencio illum penes me, set aliquantulum elongatus est a me.” ¶ Et ego nichil uidebam, set ipsam co[n]fortabam melius quam potui, loquens ei de fiducia Dei et de amore ipsius, et in illa confortacione omnino recessit spiritus et in crastino fecit ut sibi dixeram.

36.

Et de cetero spiritum illum ad timorem non vidit. Cum ipsum tantum vidit et [102r col 1] lectum suum tangere nec intrare audebat, set, ut ipsa narravit, quociens sibi postea apparebat fortis erat contra eum, et contra eum insurgibat et flagellabat et sub pedibus suis concuscabat eum, [Cf Ps 91:13] et uerberabat ita quod ille malignus spiritus ad eam aliquociens misericordiam proclamabat. ¶ Ad hec fui et vidi et ea testificor esse vera. [Jn 21:24; 1 Jn 4:14] ¶ Ob quam causam notoriam artem per me et per vnum testem maleficam indicaui.

37.

De visionibus bonis sororis mee postquam dimisi[t] artem notoriam ¶

Postquam vero predicta mea soror ab opere art[i]s notorie recessit omnino, tunc cepit visiones Dei videre. ¶ Vidit in una nocte in extasi posita Creatorem omnium in tribus personis ad mensam magnam in quadam ecclesia sedentem, et ipsa erat tota nuda ante eum. Que lacrimabiliter flexis genibus dixit ei, “Miserere mei quia do me ipsam tibi integra[m].” ¶ Cui respondens ait, “Habes tu potestatem dandi te?” Respondit, “Domine mihi, habeo.” Et ait illi ¶ “Et Ego te recipio, filia mea.” Et statim excitata fuit et hec indicaui.

38.

Alia visio eiusdem ¶

Post hec alia dierum vidit in sompnis quod sibi apparuit beata et intemerata Dei genitrix virgo Maria et dixit ei, “Filia, tu eris in seruicio filij mei. ¶ Et in ecclesia nostra de Roseto Minori<sup>b</sup> et ibi nobis seruias.” Et istam

vidit sepius visionem. ¶ Item vidit pluries in sompnis quod beata Maria dixit ei, “Filia, remove capillos tuos” (quia habebat pulcherrimos capillos), quod sic fecit. [102r col2] ¶ Item dictum fuit sibi quod si vellet loqui ad uoluntatem suam cum gloriosa virgine Maria quod ageret penitentiam, que sic fecit, quia primo hic quod usa fuit pannis lineis. ¶ Item vidit nauim ecclesie cuiusdam in sompnis quod in aere plena angelorum choris.

39.

¶ Item quod dixit beata virgo Maria, “filia ad impetrandum locum tuum in abacia Roseto predicta oportet quod alter<sup>c</sup> quam ego loquor.” Et cum narrasset dixit mihi, “Pro Deo, frater mihi, rogo vos ut eatis ad Rosetum et locum meum<sup>d</sup> petatis, quia apparet ut scio vere quod alter quam virgo Maria loquatur, et scio et credo sine dubio quod dum ipsum locum meum impetrabitis, et nobis concedetur et dabitur.” ¶ Cui dixi, “Et quomodo esse potest, cum nec ego nec tu nec aliquis de parentela nostra tota aliquam noticiam ibi habemus?” ¶ Que<sup>e</sup> dixit, “Non facio fieri, set pro Deo faciatis que rogo.” Cuius precibus acquiescens, solus apud Rosetum perexi, ubi nunquam fueram et neminem cognoscebam, et ut ipsa mihi dixerat sine contradicione aliqua seu excusacione, ac si Spiritus Sanctus operaretur (quod in rei veritate sic faciebat) locum suum, scilicet tercium vacantem, impetraui. Quam impetrationem seu concessionem<sup>f</sup> ipsa sciui[t] incontinenti ac si presens fuisset. ¶ Vnde quando ad ipsam reuersus fui, dixit mihi, “Vos inpetrastis locum meum die Martis.” Cui dixi, “Quomodo sciui?” Hecque respondit, “Reuelatum fuit mihi.” Et de hoc multum in me miratus sum.

40.

**Item alia visio.**

Item postea apparuit mihi virgo Maria et dixit michi petenti eciam de hoc—quomodo posset esse quod ipsa monialis esset, cum tanta temporalia sibi oportet habere et abbacie predictae dare antequam posset eam [102v col1] intrare, cum de predictis temporalibus pauca uel nulla videbatur habere?—que respondit, “Sibi de necessarijs providebo.” Quam promissionem et locum deuote a tempore illo expectauit predicta sorror mea ad hoc. Expectabat tempore illo<sup>g</sup> <sup>eg</sup> quo paginam istam scripsi (scilicet anno<sup>h</sup> <sup>hh</sup> incarnationis dominice m.ccc.3<sup>o</sup> decimo, kalendis Junij) quod sibi concedere et in ea adimplere dignetur dulcissima virgo Maria, vt<sup>i</sup> <sup>ii</sup> sibi et mihi promisit. Alia multa ipsa vidit et ego similiter que non sunt scripta in hoc libro, et hoc scripsimus et diximus ut sciatis et credatis quod ars notoria est malefica et quod ars presens bonifica.

41.

**De tercio teste contra artem notoriam.**

Viso de secundo teste sequitur de tercio teste. Ego enim, Iohannes, quemdam monachum ordinis sancti Bernhadi, ab ipso multociens rogatus et in fine deuictus, docui qualiter per artem notoriam operari deberet. Et postquam ipsum docui opus subintravit illius. Et cum iam diu operatus fuisset in ea, tandem querens per eam ut mos est de quadam interpretacione nominum uel verborum illius artis talem vidit visionem. Ut ipse narrauit, videbatur enim sibi quod ipse erat in claustro abbacie sue, scilicet Fontis Sancti Johannis, et quod ipse intrabat locum in quo libri sui de hac arte et alij iacebant. Et inuenit ibi unum monachum tenentem unum psalterium. Legebat in eo illum psalmum: ¶

“Deus iudicium tuum regi da, etc.” [Ps 72:1] Et tunc ille monachus incepit respicere in illo psalterio cum eo qui legebat, et videns ille qui legebat dixit ei—quasi indignanter respiciendo illum—“Quid respicis et quid queris? Hoc quod queris non est hic.” ¶ (Et quidam [102v col2] dixit ei que non tangunt propositum nostrum.) Et cum illud quod quesierat esset de opere artis notorie, dictum fuit sibi illud quod querebat non erat in psalterio; et cum psalterium sit de lege diuina et placabilis, apparet manifestissime quod ars notoria non est de lege diuina nec Deo placabilis.

42.

Quam et merito ipsam artem notoriam omnino falsam, maleficam, nephariam, damnatam, et anathematizatam, et tales ammodo hijs visis omnes ipsam utentes, experientia mei, duorumque fidelium testium aliorum auctoritate et consilio, iudicamus, pronunciamus, atque specialiter duximus reprobendam. Qui ergo per eam et in ea decepti estis et fuistis, afferte Deos alienos de medio uestri.[Jos 24:23] Et conuertimini ad dominum Deum ex toto corde uestro, et ad gloriosam et intemeratam eius genitricem virgine Marie, et queratis et petatis ab eis in fide per artem presentem que per aliam reprobata superius extra fidem a dyabolo ac angelis eius quesiuistis decepti — secundum quod dixit beatus Iacob in canonica sua capitulo primo: ¶ “Si quis autem uestrum indiget<sup>ij</sup> sapiencia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non inproperat, et dabitur ei. Postulat autem in fide nichil hesitans.” [Js 1:5] **Finit liber visionum qui est de reprobacione artis notorie et de presentis artis revelacione.**



43.

¶ Sequitur tunc liber virginis Marie et primo de exhortacione lectorum et quali[ta]te electorum.

Nox precessit, dies autem aporinquabit: abicite ergo opera tenebrarum et induite vos arma lucis; vt [103r col1] in die honeste ambuletis.[Rom 13:12] Ambulate ergo in luce dum lucem habetis; ut filij lucis sitis, ne tenebre artis notorie amplius uos comprehendant. [cf Eph 5:8] ¶ Obsecro ergo vos qui in ea decepti estis, venite ad aquas. Non vos magnates huius mundi, non superbi, non diuites, non vani, non luxuriosi; non fornicarij, non molles; non iracundi, non contenciosi, non homicide; non fures, non cupidi, non auari; non ydolatores, non infideles, non scismatici, non heretici. Quia scriptum est, ¶ “In malivolam animam non introibit sapiencia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.” [Wis1: 4] ¶ Set venite o vos pacifici, venite fideles, venite mites, venite casti; venite pauperes, venite humiles, venite virtuosi; properate, emite absque argento et absque ulla commutacione vinum et lac. [Is 55:1]

44.

<font color = “#FF0000”>De intencione operacionum quam debent habere volentes hanc artem ingredi et mundicia ipsorum.</font>

Ego, frater Iohannes, quadam nocte dum post orationes queruissem, ostendit mihi virgo Maria per reuelacionem qualem inte[n]cionem debeant habere in pronuncciandis et dicendis figuris, orationibus, et ymaginacionibus huius libri conpositis. Videbatur enim mihi quod essem in ecclesia magna Carnocensi inter chorum et altare, et ecce super altare<sup>kk</sup> apparuit mihi beata

virgo Maria, iacens in lecto vno et tenens filium suum dominum nostrum Ihesum Christum inter brachia, eodem modo sicut in partu ipsius Virginis et natiuitate domini Ihesu. Et accedens ad eam ante altare dixi, “Domina mea et amica, ego valde de vobis miror quia vos estis celi regina, domina mundi, imperatrix inferni, et ubi est gloria [103r col2] vestra? Ubi corona vestra?<sup>ll</sup> Quia sicut vos mihi apparuistis, demonstrastis que in tali simplici forma. Et multotiens alias.” ¶ Que dulcissime respondens ait ¶ “Si tibi, Iohannes, simpliciter apparui, et simplicibus f[i]delibus meis alijs, quia multum preparatum meum congesiuam meam sum honorata.” Et adiecit dicens ¶ “Respice et vide.”

45.

¶ Et ecce, vidi abhominaciones quas faciunt hodie multi religiosi secrete in cordibus suis quas nullus vidit nisi solus Deus et cui voluerit reuelare. Et ibi sic agunt, et uidi hec in persona unius religiosi; etenim vnum vidi religiosum ecclesie nostre et ordinis, et ipse erat ad altare quasi volens celebrare diuina. Et tamquam monstrum innaturaliter habet [c]apud preposterum, quia pedes, pectus, brachia eius erant in ordine suo, scilicet in oriente versus faciem altaris, facies autem capitis eius et totum cum gutture versus portam et populum. Hoc idem similiter de vno religioso eodem secundo ad maiorem confirmacionem ostendit mihi virgo Maria retro ad altare. ¶ Et tercio vidi de [e]odem quod ipse petebat aliquid apud gloriosam virginem Mariam, et ipsa noluit ipsum audire, nec impetrare potuit quod querebat. Et tunc dixit mihi virgo Maria, “Iohannes, numquid<sup>mmm</sup> tu mihi seruis sicut et ipse? Qui verbis me et filium meum honorat, cor autem eius longe est a nobis, qui ecciam, tractando diuina, cogitat et cor habet ad temporalia, et propter hoc capud habet preposterum. Et talis, ut uides, abhominabilis est coram nobis.” ¶ Et ego admirans timens dixi “A, domina mea, iam non adueniat quod uobis

seruiam!” ¶ Tunc dixit, “Et ego dico tibi quod nolo oraciones neque figuras necque yma[103v col1]ginaciones nisi cor.” Et hijs visis et auditis, excitatus fui. Et propter hoc notandum sit omnibus, auctoritate beate et intermerate virginis Dei genitricis Marie, quod si cor non h[a]beatur in beata gloriosa virgine Maria, oratio, figura, ymaginatio nullius erant valoris. Si autem cor integrum operantis<sup>n mm</sup> in ipsa applicetur et ponatur, tunc<sup>o oo</sup> oratio, figure, ymaginatio optatum Dei donum consequitur effectum.

46.

**Qualiter et ubi consueuit apparere et ut plurimum virgo Maria.**

Quia vero gloriosissima dei genitrix virgo Maria, per ineffabilem misericordiam nostris vndique occurrens periculis et saluti prouidens, dignata modernis temporibus erg[a] nos peccatores innouare de signa, facere miracula et prodigia inmutare, [Sir 36:6] ut superius aliqualiter est ostensum, idcirco, ad laudem et gloriam Dei eiusque matris, decreui scribere qualiter et ubi consueuit ipsa Virgo benedicta (sui bonitate mihi licet indigno dignante<sup>p pp</sup>) in visionibus apparere.

47.

Et ut plurimum in ecclesia, quandoque vero extra super fores ecclesie et in sua venerabili ymagine lapidea, lignea, metallica sculpta, fabricata et depicta quasi viuifica. Quandoque in specie matrone venerabilis ac religiose; aliquando in specie regine decoris et pulchritudinis ammirabilis.<sup>q qq</sup> ¶ Quandoque cum suo benedicto filio, aliquando sola in introitu ecclesie, nunc ante ecclesiam—rarissime alibi. Nunc vultu [s]ereno, nunc irato respiciens; blando sermone ridens, uel indignanter castigans. ¶

Quandoque uero tacens, aliquando prebens manum uel pedem ad osculandum. Preces non spectantes ad salutem directe uel [a]ccidentaliter<sup>r rr</sup> non exaudiuit; iustas uero et honestas [103v col2] quandoque concedit. Quandoque prorogat et quandoque dissimulat exaudire, non ut deneget penitus, set ut inflammet magis uel reddat sollicitum ad petendum. ¶ Item aliquando apparet Christus pendens in cruce, aliquando sancti, aliquando angeli beati apparentes iustis precibus et honestis respondent gratulanter. Multis etiam alijs modis apparent visiones, de mera liberalitate Dei miser[e]ntis.

48.

Set quod magis uel minus petens se apptauit, uiuens sine crimine inflamatus karitate, verumtamen summo opere<sup>s ss</sup> est cauendum operanti ne rationibus<sup>t tt</sup> physicis seu naturalibus qualiter hoc fieri possit perquirat, ne difidencia cor vacillet et in errorem prolabatur. Nam tunc affectus peccatis oratione inpletus priuaretur effectum. Etenim don[a] Dei gloriosi pij et misericordis ac eius opera humanis sensibus nequeunt comprehendere. ¶ Solis igitur fidei, spei, karitatis operibus, oratione deuotissima, iugique gratiarum accione fiducialiter est insistendum, ut autem fides et constancia operantis conprobetur.

49.

Interdum<sup>u uu</sup> diuina permissione apparet spiritus malignus in angelum lucis transformatus [2 Cor 11:14] et suadebit contraria queque per beatam Virginem uel per bonos angelos fuerant ante dicta uel monstrata. Quandoque eciam apparente Virgine gloriosa aderit et ipse malignus spiritus preueniens uerba illius, ea permittente, semper contra salutem fallaciter persuadens. Interdum solus apparet in specie Virginis gloriose ut decipiat et perdat. ¶ Etenim serpens antiquus, draco iniquitatis, hostis humani

generis, quos non potest de[104r col1]cipere sua falsitate dolosa, simulata specie veritatis subuere nititur ad perdendum. Set signa vero quibus ipse cognoscitur, prout melius notare potui, sunt hec: primum quia in ecclesia uel in alio loco Sathanas nunquam potest solus<sup>v vv</sup> apparere, quin et beata Virgo appareat uel bonus angelus illo apparente. Alias licet specie Virginis appareat, hoc erit in loco immundo uel obscuro (non ad plenum claro) aut in loco diffamat[o] ut in lupanari uel taberna, quandoque in fossa uel in antro. ¶ Tercium signum est antequam recedat semper temptabit te de aliquo peccato, et maxime de luxuria, uel aliquam molestia[m] nititur inferre, et de quesitis semper falsum enim respondit aut dubium. ¶ Quandoque etiam cognosces ipsum alijs signis Spiritu Sancto reuelante ut igitur tutus et immaculatus permanes. Omnibus visionibus leuiter non credas uel aquiescas, set consilio saluatoris proba spiritus si ex Deo sint, et discrecionem ipsorum precibus impetres a Spiritu Sancto.

50.

*Incipit liber visionum beate et intemerate virginis Marie genitricis Dei que dedit famulo suo Johanni anno incarnationis domini m<sup>o</sup> ccc viii<sup>o</sup> post reprobacionem nephande artis notorie et aliarum partium nigromancie.*

Cogita hic quod tu sis in itinere paradisi. ¶ Nota pagina debet esse in principio libri ante illud nemo accendit.

<sup>a</sup> Moriginato] MS moriginanto

<sup>b</sup> aliquis]VA/LN; MS aut quis

<sup>c</sup>et anima] VA/LN

<sup>d</sup>Hec...respondendum] VA/LN

<sup>e</sup>tamen] VA; MS/LN cum

<sup>f</sup> Supponuntur] MS supposicioni/ LN Supponitur/VA supponit

<sup>g</sup> domum]VA/LN; MS domus

<sup>h</sup> omnino] VA/LN; MS omnes  
<sup>i</sup>scribere...fuissem]VA/LN; MS dum reuersus fuissem scribere  
<sup>j</sup>aliquid]VA/LN; MS autem quod  
<sup>k</sup>sic] VA/LN  
<sup>l</sup>magis]VA/LN; MS maius  
<sup>m</sup>quodam]LN; MS/VA quendam  
<sup>n</sup>ita] VA/LN  
<sup>o</sup>exemplis] MS/LN; VA expensis  
<sup>p</sup> unus] thus all manuscripts  
<sup>q</sup>iuxta...et] VA/LN  
<sup>r</sup>meam, et...illius camere]VA/LN  
<sup>s</sup>Et cum...noluit] VA/LN  
<sup>t</sup>dicendo] VA/LN; MS dedeo  
<sup>u</sup>vidi]VA/LN  
<sup>v</sup>noluissem]VA; MS clearly voluissem/LN perhaps either  
<sup>w</sup>volebam] VA; MS clearly nolebam/LN perhaps either  
<sup>x</sup>captum]VA/LN; MS capud  
<sup>y</sup>prius]VA/LN  
<sup>z</sup>tam]VA/LN  
<sup>aa</sup>iacobito]VA/LN; MS iacintinus  
<sup>bb</sup>Iacobita]VA/LN  
<sup>cc</sup>cum]VA/LN  
<sup>dd</sup>Nona]VA;MS/LN nota  
<sup>ee</sup>et]VA/LN  
<sup>ff</sup>albo...incinerato]MS/VA/LN alba...incinerata  
<sup>gg</sup>artem notoriam]LN; MS artem in notoria/VA artem in notoriam  
<sup>hh</sup> agis]MA/VA/LN ages  
<sup>ii</sup>me]VA/LN  
<sup>jj</sup>indutis]VA/LN; MS indutus  
<sup>kk</sup>virgine...genitrice]MS/VA/LN virgo...genitrix  
<sup>ll</sup>vidi]VA/LN  
<sup>mm</sup>cum] VA/LN  
<sup>nn</sup>inuenietur]VA; LN/MS inuenientur  
<sup>oo</sup>faciam]VA/LN  
<sup>pp</sup>delectabili] MS/VA/LN delectabilis  
<sup>qq</sup>sicut]VA/LN; MS sic  
<sup>rr</sup>visio]VA/LN  
<sup>ss</sup>sero]LN  
<sup>tt</sup>cubiculo]VA/LN; MS tabernaculo  
<sup>uu</sup>meis auribus]VA/LN  
<sup>vv</sup>componerem]VA; MS/LN componere  
<sup>ww</sup>que]VA/LN; MS quam

xx]lecto]VA/LN; MS loco  
 yyCredo ... Maria] VA/LN  
 zz]ipsa]VA; MS/LN ipsam  
 aaa]lecto]VA/LN; MS loco  
 bbb]minori]VA/LN; MS mirori  
 ccc]alter]VA/LN; MS aliter  
 ddd]meum]LN; VA/MS mecum  
 eee]Que]VA/LN; MS qui  
 fff]concessionem]VA/LN; MS confesionem  
 ggg]ad hoc... tempore illo]VA/LN  
 hhh]anno]VA/LN  
 iii]vt]VA/LN  
 jjj]indiget]LN/VA;MS diget  
 kkk]et ecce super altare]VA/LN  
 ll]Ubi corona vestra]VA/LN  
 mmm]Numquid]MS/LN; VA numquam  
 nnn]operantis]VA/LN; MS operantur  
 ooo]tunc]VA/LN; MS cum  
 ppp]dignante]VA; LN/MS dignantur  
 qqq]ammirabilis]MS/LN; VA amabilis  
 rrr][a]ccidentaliter]MS/LN have occidentaliter; VA accionaliter  
 sss]summo opere]VA/LN; MS sumopere  
 tt]rationibus]VA/LN; MS erroribus  
 uuu]Interdum]LN; MA/VA inter  
 vvv]solus]VA/LN  
 www]Incipit etc] with this rubric begins the ritual text as recorded in the  
 Bayerische Staatsbibliothek manuscript Clm 276.  
 xxx] *que dedit famulo suo Johanni ...et aliarum partium nigromancie]*  
 this phrase occurs in VA only, where it is a marginal insertion.

